

DE
REBUS GRAECORUM

INDE AB ACHAICI FOEDERIS INTERITU USQUE AD
ANTONINORUM AETATEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS

VENIA ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

DOCENDI FACULTATEM

RITE IMPETRANDAM

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

DIE XXI. M. IUNII A. MDCCCLI

IN AULA ACADEMICA

PUBLICE DEFENDET

GUSTAVUS FRIDERICUS HERTZBERG

PHILOSOPHIAE DOCTOR

HALENSIS.

HALLIS

C. E. M. PFEFF

Bibliothèque Maison de l'Orient



158079

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS DOCTISSIMIS

G. BERNHARDY

PHILOSOPHIAE DOCTORI PHILOLOGIAE PROFESSORI

ET

H. LEO

PHILOSOPHIAE DOCTORI HISTORIAE PROFESSORI

PRAECEPTORIBUS BENIGNIS DILECTISSIMIS

HOC QUAECUNQUE SIT OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INDEX.

PROOEMIUM. pag. 1

PART. PRIORIS (Ab interitu foederis Achaici usque ad
Augusti principatum. *A. a. Chr. 146—27.*) — 7

CAPUT I. *A. a. Chr. 146—133.*

§. 1. Corinthus capta et eversa. — 7

§. 2. Mummius et decem legati res Graecorum ordinant. . . — 8

§. 3. De Polybio. — 10

§. 4. Quaeritur quo tempore Achaia in provinciae formam
redacta sit. — 14

§. 5. De conditione singularum civitatum post interitum foe-
deris Achaici disseritur. — 24

§. 6. De Athenarum statu. — 27

§. 7. De servorum seditione. — 31



PROOEMIUM.

„Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis.” (Tacitus.)

Res Graecorum, quales sub imperio Romanorum, inde ab eversa Corintho usque ad regnum ab Theodosio divisum, (ab anno 146 a. Chr. — 395 p. Chr.), fuerunt, quamvis maximam partem tenebris occultatae et circumfusae lateant, tamen ab historici officio non alienum esse puto, quae illis temporibus Graeci aut gesserint aut perpassi sint accurate exquirere. Quum enim longe suavissimum ac gratissimum sit, liberi atque integris viribus pollentis populi fortunam demonstrare et ostendere florentissimam, eorum operam, qui ad res civitatum fractarum et afflictarum indagandas et perquirendas incumbunt, non esse minoris aestimandam censuerim. Quod ut ad omnes omnino gentes, quaecumque ullo tempore vi et auctoritate valuerunt, ita maxime ad Graecos pertinet: qui quibus fati etiam posteriore tempore usi sint, ut cognoscere studeamus, cum eius, qua, dum liberi essent ac summa potentia inter omnes Europae Asiaeque populos florerent, excellebant gloriae magnitudine, tum maxime eo induci-

mur, quod hac ipsa aetate, quam describendam mihi proposui, Graecorum consuetudo et mores paulatim commutati atque ad eam conditionem delati sunt, ex qua et media aetate et recentioribus temporibus rerum Graecarum rationem omnino pendere videmus.

Quae cum ita sint, spero, fore, ne vos, viri humanissimi, aegre feratis, quod ego, qui omnibus et Germaniae et Britanniae viris doctissimis, quicumque gravissimis illis rebus operam dederunt, et facultate cedam et doctrina, opus plenum aleae aggressus sim. Atque id potissimum egi, ut quaecumque de historia Graecorum civili *inde ab interitu foederis Achaici usque ad Marcum Aurelium imperatorem* in libris veterum scriptorum passim dispersa sint, non solum breviter componerem, sed etiam quoad eius fieri posset, perpetua oratione illustrarem. Negari quidem non potest, hanc descriptionem non tam „rerum Graecarum historiam” appellandam esse, quam enarrationem bonorum et malorum, quae Graecis evenerint. Neque enim universi Graeci, nec singulae civitates his temporibus unquam res gesserunt, quae maiorum praeclare factis ullo modo comparari possent, atque in ea, qua nonnunquam haec vel illa gens excelluit fortitudine, nihil nisi morientis libertatis et pristinae praestantiae vestigia licet indagare.

Quum igitur Graeci ea conditione, quae scriptores ad res patriae describendas impelleret, tum non fruerentur, ea plerumque respicienda sunt, quae scriptores Romani et Graeci aut aequales aut posteriorum temporum de rebus Graecorum magis magisque labefactatis occasione data exhibent *). At vero quum ex his scriptoribus

*) Scriptorum et antiquorum et nostrae aetatis, quorum libris in hoc libello conscribendo usus sum, sicuti res ipsa cogit, magnus est nu-

pauca tantum ad res Graecas accuratius perspiciendas redundant, vel diligentissima cura et studio tantum abest, ut *universae* Graeciae status civilis, qualis per annos illos trecentos viginti sex fuerit, clare perspiciatur, ut saepius in graviorum modo civitatum rebus aliqua ex parte exponendis sit acquiescendum.

Itaque vix a me impetravi, quin aut de singularum civitatum institutis, legibus et magistratibus subtiliter dissererem, quum aliquo temporis spatio scriptores de rebus gestis nihil traderent, aut quaestionibus de statu artium litterarumque Graecarum, imprimis Atticarum, addendis narrationes scriptorum saepissime icuinas tristesque vividis coloribus, ne dicam fallaci splendore exornarem. Neque tamen obsecutus sum animo, veritus, ne

merus. Ut primum de veteribus dicam, praeter Pausaniae descriptionem Graeciae (ed. Siebelis.) et Strabonis rerum geographicarum libb. XVII. (ed. Siebenkees. et Tzschucke.), — qui passim de rebus Graecorum hoc aevo gestis disserunt, — Polybii historiae (ed. Schweighauser.), Appiani historia Mithridatica, et de bellis civitibus libb. V. (ed. Schweigh.), Dionis Cassii historia Romana (ed. Reimarus), Plutarchi vitar. parallelar. Voll. IX. (ed. Schäfer.) et Moral. Voll. II. (Moral. Vol. I. et II. sive Plutarch. opp. omn. Vol. III. et IV. ed. Fr. Duchner. Paris, Didot.), Ciceronis orationes, epistolae et libri philosophici, Caesaris de bello civili libb. III., Taciti (ed. J. Bekker.), Suetonii (ed. F. A. Wolff.) et Josephi opera (Voll. II. ed. Havercamp.), Philostrati vitae Apollon. Tyan. libb. VIII. (edd. Morell. et Olear.) et vitae sophistarum (ed. Kayser.), Dionis Chrysostomi orationes (opp. ed. Morell.), Plinii naturalis historia (ed. Franzius.), et epistolae (ed. Bipontin.) et Athenaei deipnosophist. libb. XV. (ed. Schweighauser.), largam rerum copiam mihi praebuerunt. Accedit quod etiam Livii, Velleii Patereuli, Flori, Cornelii Nepotis, Scriptorum historiae Augustae, Sexti Rufi, Eutropii, Luciani et Aelii Aristidis libri multa exhibent, quae ad res Graecas huius aetatis pertinent.

Deinde operum, quae nostrae aetatis scriptores confecerunt, praeter clarissimum Boeckhii Corpus Inscriptionum Graecarum, et Eckheli Doctrinam Numerorum, his potissimum usus sum:

eiusmodi quaestiones, quae magis rem antiquariam spectarent, quam historiam, modam terminosque exigui huius libelli longe egrederentur. Huc accedit, quod consilium cepi, si postero tempore in litteris historicis subtilius versatus et acrius iudicium consecutus sim, res Graecorum inde a Corintho eversa ad nostram usque aetatem maiore in libro pluribus enarrare. Ac pariter primordia rerum Christianarum in Graecia breviter tantum commemoravi; quae praeterquam quod magna ex parte a scriptoribus dubiae fidei traditae sunt, cum temporum ordine vix possunt conciliari.

In commentatione autem disponenda et componenda ipsam rerum Graecarum rationem et naturam, qualis qui-

C. F. Hermann, Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer. 3te Auflage.

J. W. Zinkeisen, Geschichte Griechenlands. Tom. I. pag. 490—574.

Fallmerayer, Geschichte der Halbinsel Morea. Tom. I.

Hoeck, Römische Geschichte. Tom. I. P. 1. 2. 3.

Clinton, Fasti Romani.

Corsini, Fasti Attici.

Fischer und Soetbeer, Römisch-Griechische Zeittafeln.

C. Peter, Römische Zeittafeln.

Hopfensack, Staatsrecht der römischen Unterthanen.

Roth, de re municipali Romanorum.

E. Kuhn, Beiträge zur Verfassung des römischen Reiches.

Nitzsch, die Gracchen.

Nitzsch, Polybius.

Helwing, Geschichte des achäischen Bundes.

Merleker, Achaicorum libb. III.

Tittmann, Bund der Amphictyonen.

Leake's Topographie von Athen, übers. von Rienäcker, mit Zusätzen v. Meier und Müller.

Ahrens, de Athenarum statu politico sqq.

Ellissen, zur Geschichte Athens nach dem Verluste seiner Selbständigkeit. Abhandl. I.

Praeterea multos et veterum et recentiorum libros perscrutatus sum, quos cum enumerare longum sit, suo loco commemorabo.

dem hac aetate fuit, secatus sum. Quamobrem non potui, quin rerum Atheniensium, quae etiam tum gravioris essent momenti, praecipuam rationem haberem, et quaecunque de ceteris civitatibus tradita sunt, enarrandis Athenarum fati apto aliquo loco adderem. Athenae enim vel hoc ipso tempore et auctoritate civitatis et litterarum gloria tanquam arx et caput totius Graeciae fuerunt.

Pariter quod Antoninorum aetatem non egressus sum, id non temere feci, sed ea causa inductus, quod quum universi Romanorum imperii res inde a Marco Aurelio mortuo magis magisque corruptae et depravatae, tum maxime res Graecae in perniciem praecipitatae sunt, ex quo imperatores non amplius beneficiis suis labantem rempublicam sustinuerunt ac pristini splendoris speciem quandam fallacem servarunt.

Atque ipsum argumentum duas in partes dividitur: quarum priore res Graecorum inde a foederis Achaici interitu usque ad Augusti principatum, altera quae exinde usque ad Marcum Aurelium imperatorem gesta sunt, comprehenduntur. Quum enim liberae reipublicae Romanae aetate etiam Graeci speciem quandam eius conditionis, quam autonomiam appellant, servassent, tandem quo tempore Augustus rerum Romanarum potitus est, Graecia, — praeter Athenas paucasque alias civitates, — in provinciae formam redacta et inde proximis duobus imperatorum aetatis saeculis eodem fere modo, quo aliae imperii Romani provinciae, administrata est: nisi quod eximiam ob gratiam, qua imperatorum plurimi artium litterarumque patriae favebant, Graeci conditione aequiore quam alii provinciales usi sunt.

Ut vero opus susceptum apte absolverem et concluderem, res inde ab anno 146 a. Chr. — 180 p. Chr. in

Græcia gestas in „Fastis Achaicis” ad annorum ordinem componere conatus sum. Addita sunt et archontum eponymorum Atheniensium et proconsulum Romanorum, inde ab anno 27 a. Chr. in Achaïam missorum, nomina, quae quidem et in libris scriptorum et in inscriptionibus a Boeckhio collectis passim dispersa inveni. Quibus in proferendis librorum locos vel numerum inscriptionum non attuli, nisi archontum vel proconsulum in ipso bello nulla mentio facta erat.

PARS PRIOR.

AB INTERITU FOEDERIS ACHAICI USQUE AD AUGUSTI
PRINCIPATUM. A. a. Chr. 146—27.

CAPUT I.

A. a. Chr. 146—133.

§. 1.

Foedus Achaeorum, qui soli inter omnes Graecos etiam Persico a Romanis devicto libertatem suam retinere et in rebus publicis ad suum arbitrium agere studebant, et fraudibus Callieratis, qui effecerat, ut mille optimorum virorum iussu Romanorum in Italiam abducerentur, (*a. 167 a. Chr.*), et Romanorum iniuriis in dies auctis in maximum periculum et extremum paene discrimen adductum est. Quum enim potentes optimates; omni modo a senatu Romano adiuti, non solum simili ratione, qua tum Romani nobiles in Sicilia Italiaque, maximam partem agrorum obtinerent, sed etiam in republica administranda Romanorum tantum commodis servirent, non mirum fuit, quod multitudo, opera Philopoemenis eiusque amicorum popularis imperii studio incensa, inopia vero et oneribus oppressa, partes eorum, qui Romanorum nomini et imperio inimici atque infesti erant, acerrime secuta est. Quorum vires quum reditu trecentorum, — qui mille illorum hominum in Italiam deductorum superstites erant, — tandem a senatu Romano concessa, vehementer auctae essent, (*a. 150 a. Chr.*), seditionem ab Andrisco in Macedonia motam mox bellum illud secutum est, quo Achaici,

summa affecti desperatione, et optimatum suorum potentiam frangere, et Romanorum iugum a cervicibus suis depellere conati sunt. Quod bellum, quia Graeci et viribus inferiores erant, et Critolao atque Diaeo, vehementissimo quidem Romanorum odio incensis, sed ignavis et rei militaris ignavis atque expertibus, ducibus utebantur, tantum abfuit, ut felicem eventum haberet, ut proeliis ad Scarpheam et ad Leucopetram in Isthmo commissis Achaeorum respublica prorsus frangeretur. Quae hanc Achaeorum cladem secuta sint, omnibus est notum: L. Mummius enim consul eodem fere tempore, quo Carthago a P. Cornelio Scipione Aemiliano deleta est, — Antitheo summum magistratum Athenis gerente¹⁾ — (146 a. Chr.) Corinthum urbem cepit, captam militibus diripiendam commisit et quod paullo ante hac in urbe laesis Romanorum legatis ius gentium violatum erat, ex senatusconsulto incendio delevit; puberes quidem reliqui a Romanis omnes ad unum interemti sunt, mulieres puerique et ex servis, quos Diaeus armaverat, quotquot superstites proelio erant, sub corona venire. Sic Graecorum libertate oppressa Romani etiam Peloponnesum dominatu suo tenuerunt.

§. 2.

Mox postquam Mummius alias quoque Graecorum civitates, quae manum contra Romanos miserant, moenibus deiectis armisque civibus ademptis, supplicio affectis²⁾, more maiorum decem legati a senatu Romano missi in castra Mummii convenere, quorum consilio in Graeciae rebus ordinandis uteretur; in quibus A. Postumius et C. Sempronius Tuditanus fuerunt. Quorum adventu popularis rerum publicarum status ubique per Graeciam sublatus, civitates magistratibus ex censu constitutis administrandae commissae, libertas tamen et propriae leges urbibus relictæ sunt. Deinde vectigalia omnibus Graecis imposita, et opulentis civibus in-

1) Pausan. VII. 16, 7.

2) Pausan. II. 1, 2. VII. 16, 5. In Thebas potissimum et Chalcidem urbes Romani crudeliter saevisse videntur; Liv. epit. l. LII. ita Chalcidensium equitum multi occisi sunt. Polyb. XL. 11.

terdictum est, ne posthac, id quod antea consueverant, extra fines urbium suarum agros possiderent. Denique foedus Achaicum sublatum, nec minus concilia aliarum gentium, Phocensium, Boeotorum, itidemque per universam Graeciam pariter omnia abolita sunt. Praeterea Mummius, ut peculiari poena eos affligeret, Bocotos Eubocensesque Heracleotis, quos, quod rebus Romanorum faverent, una cum Achacis Critolao duce 147 a. Chr. vexassent, centum talenta, — Achacos Lacedaemoniis ducenta pendere iussit, quia illi paullo ante bellum Corinthium huic populo, inde a Nabidis tempore Romanis amicissimo, Diaeo et Damocrito praetoribus bis bellum intulerant³⁾.

Deinde si respicis, quemadmodum viginti annis ante, Perseo superato, praedia regum Macedoniae, et Carthagine deleta huius urbis agri dominium populi Romani facti sunt, ita Achaia quoque subiecta agrum Corinthium publicatum, — (cuius maximam partem mox Sicyonii obtinuerunt⁴⁾), — et simili modo, quo Libycae urbes Romanorum studiosae, agrorum Carthaginiensium parte donatae sunt, Lacedaemonios prae ceteris Graecis singulari honore habitos esse⁵⁾: clare apparet, Romanos etiam in Graecia tractanda certam suam et stabilem rationem secutos esse, qua in terris modo occupatis et paullatim in provinciae formam redigendis id egerunt, ut loca situ et auctoritate gravissima obtinerent et certam factionem sibi compararent. Quamdiu enim Corinthus deserta iacebat, Isthmus munimentis carebat, aditus montium Laconicorum Romanis patebat, omnino non timendum erat, ne Peloponnesii unquam prospero eventu rebellarent. Nec minus eo consilio et timocratias, ut ita dicam, instituerunt, et, ne quis extra urbis suae fines agrum haberet vetuerunt, ut non solum, oppressis popularis imperii studiosis, quos Romanis infestissimos esse iam Callicrates senatum docuerat, optimatum in civitatibus potentia auferetur, sed etiam, quo-

3) Pausan. VII. 16. 6. 7. Liv. epit. l. LII. Polyb. XL. 9—11.;
cf. Merleker, pag. 452—459; die Eckl. zu Cic. ad Att. XIII. 4. 6.
Boeckh. ad C. I. vol. I. nr. 1543. pag. 713.

4) Strabon. VIII. 6, 23. (p. 381).

5) De his rebus infra agitur.

minus illi latifundiis suis amplius prolati salutis publicae detrimentum afferrent, impediretur.

Tributum autem Graecis iniunctum vectigal fuisse videtur, agrorum possessoribus impositum, quum certa pecuniae summa in perpetuum constitueretur, quam ut commodius solverent, singulae civitates eadem fere ratione qua Hispaniae inter se disperditae sunt. Quod stipendium, quum illius simillimum esset, quod Macedonia iam priusquam in provinciae formam esset redacta, aerario Romano pependerit, publicanis Romanis non locatum est⁶⁾. Nihilominus vero Achaici foederis ruina huic ordini summae utilitati fuit: ut enim quaestum omittam, quem publicani 146 *a. Chr.*, quo anno magistratus Romani amplius centum millia captorum Corinthiorum et Carthaginensium ad mercatum detulerunt, e servis sub corona vendendis fecerunt, non solum facultas iis data est, agrum publicum Corinthium commercii negotiis opportunissimum occupandi, sed etiam Carthagine et Corintho, urbibus emporio florentissimis, deletis ii mercatores e medio sublatis sunt, qui soli in occidentali orbis terrarum parte commercio cum Romanis fortiter certaverant.

§. 3.

Ipsi autem Achaici tum nihil felicius sibi accidere potuisse agnoverunt, quam quod accidit, ut, quam celerrime ac sine ullo negotio a Mummio consule devicti, neque Romanis causam in Graccos saeviendi darent, neque ipsorum duces crudelissimi in populares suos, Romanorum causae addictos, impietatis suae specimina edendi haberent facultatem. Tunc enim vetus illud dictum in omnium ore versabatur: „nisi celeriter periissemus, nunquam salvi fuissemus!”⁷⁾

L. Mummius consul etiam anno 145 *a. Chr.* in Graecia remansit, ut praesens status coalesceret, neve forte motibus Orientis pax Graeciae et Macedoniae recens stabilita

6) De his rebus ad vectigalia pertinentibus cf. Nitzsch, d. Gracchen p. 252.

7) Polyb. XL, 5. „Ἕλληνας δὲ τότε τὴν παροιμίαν ταύτην διὰ στόματος εἶχον, ὅτι: Ἐὶ μὴ ταχέως ἀπολώμεθα, οὐκ ἔν σοῦθμεν.” cf. Plut. Themist. c. 29. „ἀπολώμεθ' ἂν, εἰ μὴ ἀπολώμεθα.”

sollicitaretur. Quo tempore et Neptuni templum, quod in Isthmo fuit, cum lueo et stadio, in quo Isthmia olim Corinthii agebant^{8a)}, bello vastatum, instauravit, Delphici Apollinis fanum exornavit, atque adeo primus Romanorum Olympiac Iovem aeneum itemque clypeos inauratos unum et viginti de manubiis Achaeorum dedicavit. Qui quum postea singulas civitates circumiret, ubique privatim et publice summis honoribus exceptus est, quoniam et abstinentia stoica, et humanitate ac mansuetudine, qua in omnibus rebus usus est, ubi ad suum tantum arbitrium agere sibi licuit, miserorum Graecorum maximam admirationem et amorem sibi conciliaverat^{8b)}. Quum tandem in Italiam decederet, manus in Achaia relicta est, Q. Fabio Maximo proconsule duce, qua tumultus, qualem Sosus quidam cum nonnullis Achaeorum jugum Romanum aegre ferentibus tum Dymae excita-visse videtur, in ipso ortu opprimerentur^{8c)}.

Contra decem legati, rebus Graecorum intra semestre spatium constitutis, iam vere anni 145 *a. Chr.* ineunte in Italiam redierant, quum, Polybio teste, pulcherrimum virtutis morumque populi Romani exemplum Graecis omnibus reliquissent⁹⁾. Maximo autem beneficio infelicem populum eo affecerant, quod in rebus Achaiae ordinandis Polybio auctore et actore usi erant.

Polybius enim, rerum civilium inter omnes suae aetatis Graecos longe peritissimus, quum, Philopoemenis et Lycortae patris exemplo, Achaeorum partibus popularis imperii studiosis praefuisset, Callieratis fraudibus simul cum gravissimis factionis suae sociis (167 *a. Chr.*) Romanis proditus est. Qui cum Romam abductus viginti fere annos in domo Aemilii Pauli, clarissimi ducis, versatus esset, cum Scipione Aemiliano, illius filio, arctissima necessitudine coniunctus, summa apud Romanos auctoritate valuit. Postquam vero in castris Scipionis, tum Carthaginem urbem oppugnantis, Corinthi ever-

8a) Strabon. VIII. 6, 22.; (p. 380.)

8b) Polyb. l. c. 11.; Liv. epit. l. 144.; Diodor. Exc. Vatic. II. 95. coll.; Cic. in Verr. II. 1, 21.

8c) Boeckh. C. I. vol. I. pag. 713. nr. 1513.

9) Polyb. l. c. 10.

sae nuncium accepit, sive Scipione vel decem legatis iubentibus, sive, quod multo verisimilius mihi videtur esse, caritate patriae et studio inductus, extremam perniciem a Graecis amoliendi, advolavit, ut patriae ruenti, cuius rerum spectator tantum iuventus per tot annos fuerat, iam senex auxilium quantumcunque afferret et maiorem calamitatem ab ea averteret. — Ac revera viri generosi virtus atque auctoritas Graeciae eo tempore multum profuit. Qui non solum gratia, qua apud consulem legatosque floruit, effecit, ut statuae Achaici, Arati et Philopoemenis, quae iam ex Peloponneso in Acarnaniam transportatae erant, non in Italiam traducerentur, sed Achaicis redderentur, atque Philopoemenis honores, qui per Achaiae civitates summo viro constituti fuerant, illibati manerent ¹⁰⁾, verum etiam rebus Achaeorum componendis et ordinandis patriae calamitatem quam maxime sublevavit. Nam ex mandato legatorum, quum in Italiam decessissent (145 *a. Chr.*), singulas urbes Achaicas obiit, earum controversias diiudicavit, legesque ac formulas iuris dicundi secundum legatorum praecepta civitatibus scripsit: atque omnino, ut paucis comprehendam, ea quae nova Graecorum sub imperio Romanorum conditio posceret, cum institutis illorum, libertatis tempore ortis, quam posset conciliare studuit. Itaque profecto auctoritate sua apud populares adiutus brevi perfecit, ut statu praesenti non acquiescerent modo Graeci, verum etiam laetarentur ¹¹⁾. Quum enim ubique res componeret et ordinaret, id potissimum cives docuit, praescripto rerum statu pacem otiumque recuperari, et in posterum sperare, divitum latifundiis multitudinis inopiam non amplius auctum iri. Deinde quum universis Achaicis easdem leges iurisque rationes conderet, et alio quoque modo communi populi saluti prospiceret, sane effecit, ut Achaici, quamvis foedere sublato, tamen pristina consuetudine, qua civitates inter se iunctae fuerant, non plane privarentur.

10) Polyb. XL. 8. Polybium in vendendis Diaei aliorumque damnatorum bonis summa abstinentia excelluisse, eodem huius libri loco narratur; cf. Plut. Philop. c. 21; praec. reipubl. ger. 48. Moral. Vol. II. p. 814 d.

11) Polyb. XL. 10. cf. Pausan. VIII. 30. 4

Itaque, postquam sic patriae suae omni modo consuluit, — (quod quidem omnium rerum a se gestarum longe plurimi habendum esse ipse contendit,) — Achaei quibus persuasum erat, „Graeciam si prius Polybii consiliis paruisset, nunquam offensuram fuisse, et post offensam illum, Romanorum in Graecos ira mitiganda, unum afflictiae levamen exstitisse,“ omnibus eximiis honoribus et vivum et mortuum eum per singulas urbes colere certatim instituerunt atque adeo statuas ei posuerunt. Quarum Pausanias alteram in foro Megalopolis urbis, alteram in Despoenae sive Proserpinae templo collocatam vidit¹²⁾.

Neque minus Polybium postea, iterum Romae versatum, Graecorum commodo serviisse probabile est: qua in re a Scipione Aemiliano eiusque amicis, qui, Corneliae et Aemiliae gentis rationem politicam sequuti, id potissimum agerent, ut Romani non tam quam plurimas provincias occuparent, quam Graeciae et Asiae civitatibus, specie quadam libertatis iis relicta, modo imperarent, fortiter adiutus esse videtur. Illud certe constat, iam paucis annis post Corinthum deletam, — ut accurato temporum ordine neglecto Pausanias exhibet, — severiora senatus Romani de Graecorum conditione decreta sublata esse. Multae igitur, quas singulis civitatibus Mummius irrogaverat, remissae, prisca cuique genti concilia, — maxime Achaeorum, Boeotorum et Phocensium, — restituta sunt^{13a)}, quin etiam, quamquam id ipsum Achaiae non fuit

12) Polyb. I. c. 8. 10. Pausan. VIII. 30, 4. 37, 1.

13a) Quo factum est, ut posterioribus quoque temporibus foedera Achaeorum (Pausan. V. 12, 4. VII. 24, 3. Boeckh. C. I. vol. 1. nr. 1318. 1396. 1625. 1718. Keil. syll. inscr. Boeot. nr. 31.), cum *στρατηγῶν*, praetoribus (C. I. nr. 1124.); Boeotorum (Pausan. IX. 34, 1. X. 8, 3. Keil. I. I. nr. 31. 51. 70. 74. 95.), cum Boeotarchis (Plut. reip. ger. praec. c. 17. Moral. Vol. II, p. 813 e. Boeckh. C. I. v. 1. p. 726 sqq.); Phocensium (Paus. X. 5, 1. Ross. inscr. ined. fasc. I. nr. 85. Keil. syll. inscr. Boeot. nr. 26. 31.), cum Phocarchis, (Boeckh. C. I. nr. 1738.), et praetoribus (cf. Ulrichs, Inscr. v. Tithora; Rhein. Museum f. Philol. II. 554. 555.); Locrorum, Euboensium (Keil. I. I. nr. 31.); Aetolorum (Paus. X. 38, 2.); Thessalorum cum praetoribus (cf. Niebuhr, kl. histor. Schriften I.

commodo, agros extra fines urbium suarum habere locupletibus permissum est^{13b)}.

§. 4.

Hoc autem loco aptum esse mihi videtur, rerum gestarum narratione aliquantulum interrupta, Graecia utrum iam his temporibus a Romanis in provinciae formam redacta sit, nec ne, accurate exquirere. Atque opinionem illam tralaticiam, qua hanc terram, Achaico foedere sublato, provinciam factam, Achaiae nomine appellatam et praetori Romano, Patris habitanti, commissam esse existimant, quum nostra aetate iam alii viri docti in dubitationem adduxissent, inprimis **Carolus Fridericus Hermannus** et in libro, quem de Graecorum antiquitatibus scripsit¹⁴⁾, et nuperrime in oratione coram splendido philologorum conventu habita¹⁵⁾, firmissimis argumentis impugnavit. Cuius sententiam, quam veram esse mihi persuasum est, sequi non dubitavi, neque quidquam aliud feci, nisi ut argumenta nonnulla adderem, in quae scriptores perscrutatus incidi.

Graeciam quidem a **Mummio** et decem legatis provinciam Romanam factam esse, omnium primus **Sigonius** contendit¹⁶⁾; sed ne unum quidem locum e veterum libris attulit, quo haec sententia confirmari posset.

Ipse **Rufus** enim, scriptor nullius fidei, quem **Sigonius** respicit, quo loco „breviarii sui historiae Romanae” de capta **Corintho** disserit¹⁷⁾, non ut solet, „provinciam factam” Achaiam, sed tantum „obtentam esse” dicit. Qui cum in rebus **Armeniae minoris**, **Mithridate** devicto, enarrandis eadem

p. 241—249.); **Nesiotarum** (C. I. v. 2. nr. 2334; cf. nr. 2283 c.), et **Amphictyonum** (Paus. VII. 21, 3. X. 8, 3. C. I. nr. 1121. 1718.), saepius commemorentur.

13b) Pausan. VII. 16. 7. cf. Boeckh. C. I. vol. I. p. 712 sqq. nr. 1543.

14) C. F. Hermann, Lehrbuch d. griech. Staatsalt. §. 190. not. 3.

15) Cf. „Verhandlungen der Xten Versammlung deutscher Philologen in Basel,” 1847. pag. 36—40.

16) **Sigonius** (de ant. iure pop. Romani), de antiq. iure provinciar. lib. I. p. 283.

17) **S. Rufi** breviar. rer. gest. pop. Rom., ed. Verheyk. cap. VII.

elocutione usus sit, — „Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta est”¹⁸⁾, — etsi Armeniam usque ad **Nerone**m imperatorem ex arbitrio **Romanorum** quidem pependisse, sed a regibus suis administratam esse, inter omnes constat, — **Graeciam** profecto a **Romanis** subactam esse declarat, contra in formam provinciae tum eam redactam esse, ex illo loco plane non apparet.

Deinde **Strabo**, cuius testimonio pariter utitur **Sigonius**¹⁹⁾, postquam de **Corintho** eversa narravit, nil nisi haec fere addit: „et reliqua usque ad **Macedoniam** in potestatem **Romanorum** venerunt, aliis in alias partes missis ducibus;” unde certi quid deduci sane non potest.

Denique tantum abest, ut quae exhibet **Pausanias**, **Sigonii** opinionem, quam iis potissimum niti videmus, confirmet, ut eadem si accuratius perspexeris, illam refellere videantur. Nam quum **Pausanias** verbis iam supra a me allatis haec fere addiderit²⁰⁾: „— Mittitur etiam nunc ad **Graeciam** administrandam ex **Urbe** praetor, quem *Achaiae*, non **Graeciae** appellant **Romani**, quod scilicet **Graeci** subacti sunt principatum obtinentibus **Achaeis**;” inde probatur quidem, **Graeciae** aetate **Pausaniae** nomen *Achaiae* eamque iam diu imperii **Romani** provinciam, atque etiam inde ab interitu **Corinthi** prorsus in potestate **Romanorum** fuisse: sed hoc omnino nemo negaverit. Neque vero hic neque alio loco, ubi bello confecto **Graecis** arma crepta, munitarum urbium muros deiectos esse tradit²¹⁾, **Graeciam** iam a **Mummio** legatisque ad formulam provinciae constitutam esse, **Pausanias** narrat. Quare etiamsi **Graecorum** libertatem **Romani** arctissimis finibus circumscriberent, tamen longe aberat, ut provincialium modo iam tum eos tractarent.

Quamvis enim nonnullae provinciae formula sua conditionem non plane iniquam assecutae et legibus **Romanis** a gravioribus rectorum iniuriis defensae sint, tamen ut suis legibus iuribusque uterentur, non amplius concessum est,

18) **Ruf.** c. III.

19) **Strabon.** VIII. 6. 23. (p. 381).

20) **Pausan.** VII. 16. 6. 7.

21) **Pausan.** II. 1, 2.

atque adeo agri pro dominio populi Romani habiti sunt. Sed prioribus reipublicae temporibus tantum abfuit, ut Romani in populos iusto bello superatos tam graviter consulerent, ut saepissime agris praesidiisque occupatis vel alio modo eos impedire satis haberent, ne amplius reipublicae nocere possent. Quamobrem ad id usque tempus, quo singulorum civium effrenata pecuniae et dominandi cupiditas Romanos a salubri ac recta rerum publicarum administratione abalienavit, cae solum terrae provinciae factae sunt, quae aut iam antea ab aliis populis libertate privatae, tanquam in praedam Romanis cesserunt, ut Sicilia, Sardinia, Hispania, Gallia Cisalpina, aut iterata rebellione summas poenas merito luere visae sunt, ut Carthago et Macedonia: quarum haec ne regno quidem abolito (168 *a. Chr.*), sed Andrisci demum seditione oppressa (149—147 *a. Chr.*), in formam provinciae reducta est.

Quodsi igitur reputamus, illo tempore neque Romanis ullam attulisse utilitatem, si onera reipublicae novis provinciis administrandis auferent, neque Achaeos, qui tum primum cum populo Romano bellum gesserant, in numero earum nationum, de quibus modo diximus, haberi potuisse, — etiamsi contrariam opinionem pravam esse, firmis argumentis non demonstraretur, tamen pro certo habuerim, Graecos foederis Achaici clade in peiorem conditionem, quam qua annis 168—147 *a. Chr.* Macedones uterentur, non esse detrusos. Quanquam plerique ex iis, qua erant consilii pravitate, in bellis Romanorum civilibus semper eorum causam secuti, qui postea superati sunt, victoribus ansam dederunt ad speciem quoque libertatis Graecis relictae magis magisque imminuendam, et Graeciam tandem in formam provinciae redigendam. Sed antea Graecos alia conditione usos esse, quam quae Macedoniae 167 *a. Chr.* praescripta est, certis testimoniis vix possit probari.

Immo nonnulla eorum, quae Mummium legatosque Graecis praecepisse Pausanias refert, iis quae Livio teste ²²⁾ Macedonibus devictis constituta sunt, fere congruunt: quibus „neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorum-

22) Liv. lib. 45, 18. 29. 32.

que inter se cuiquam extra fines regionis suae esse" praescriptum est. Quodsi Macedoniae, quamvis ad leges durissimas constituta, in quattuor civitates descripta atque adeo Romanis stipendium pendere coacta esset, nihilosecius per viginti annos libertatis et autonomiae, ut ita dicam, nomen relictum est, — ex iis quoque legibus, quas Aethiopia ab Romanis datas esse Pausanias tradit, nihil colligi potest, nisi eandem rationem inter Graecos et Romanos intercessisse, qua „liberas et foederatas sociasve civitates" cum his coniunctas et ab iis tractatas fuisse certo scimus. Ita ipsae Athenae, quas nunquam cuiquam provinciae adscriptas esse inter omnes constat, posterioribus temporibus sub ius et iurisdictionem vicinorum praesulum aliqua ex parte subiunctae erant. Accedit quod Plutarchus, ubi Macedoniae rectorem Luculli tempore litem quandam inter duas Boeotiae civitates exortam diiudicasse narrat, „Graeciam tum praetori Romano nondum commissam fuisse" refert²³⁾.

Cuius quidem testimonium, quo Graeciam tempore adhuc Ciceronis vel Pompeii in provinciarum Romanarum numero nondum relatam esse clare probatur, vagis Strabonis et Pausaniae dictis, quae supra attuli, dilui nequit. Plutarchum vero de patriae suae rebus falsa prodidisse, ut crederemus, commoveri tantum possemus, si aut nomina praesulum Romanorum afferrentur, qui Graeciam iam ante bella civilia administrassent, aut talia traderentur, quae ad provinciam modo, neque omnino ad terras, Romanis quodam clientelae genere coniunctas — (quod nos dicimus „Vasallenland") — referenda essent. Sed tantum abest, ut eiusmodi res commemorentur, ut quam rationem inter Graecos et Romanos fuisse apparet, ea ad rem provincialem omnino non pertineat.

Graeciam 146 a. Chr. provinciam factam esse, ex eo quod decem legati simul cum Mummio res Aethiopiae constituerint, colligi non posse perspicuum est, quum Romani fere eodem modo a. 189 a. Chr. Asiae res ordinandas curaverint. „— Decem enim legatos more maiorum ad res Asiae disceptandas componendasque missos esse" Livius

23) Plut. Cimon, c. 2. „— οὐπο γὰρ εἰς τὴν Ἑλλάδα Ῥωμαῖοι στρατηγούς διεπέμποντο." cf. Plut. Caesar, c. 4.

narrat ^{24a}): qua occasione oblata omnes Asiae minoris et urbes et terras, quas Romani bello cum Antiocho Magno gesto occupaverant, Eumeni Rhodiisque permissas, neque tamen Asiam minorem in provinciae formam redactam esse, inter omnes constat. Ac similiter de consilio illo statuendum esse videtur, de cuius sententia Aemilius Paulus Macedonum rempublicam institutis illis legibusque temperavit, quae supra commemoravimus.

Porro ut de proconsulibus dicam, Pighius quidem ^{24b}), quum iam more tralaticio Achaïam in numero provinciarum Romanarum haberet, Achaïae proconsules vel praetores nominatim afferre conatus, quinque virorum nomina protulit, quos centum fere annorum spatio inde a foederis Achaïci interitu usque ad C. Iulium Caesarem Achaïae praefuisse contendit. Quorum virorum vel unum tantum hoc munere functum esse, si quis certis argumentis comprobaret, sententiam meam cadere lubenter concederem; sed ut dubiam Pighii auctoritatem taceam, spero fore ut, omnibus rebus accurate cognitis, Plutarchum vera tradidisse, ostendam.

Primum quidem illorum Pighius Aemilium Scaurum producit, qui postea princeps senatus maximum nominis sui famam adeptus est. Quem *a. 119 a. Chr.* Achaïae propraetorem fuisse opinatur, quum in numis quibusdam, Aemilio illo praeside cunis, Apollinis attributa occurrant, quibus impressis eos e Graeci tributis argento Delphis percussos esse comprobetur: templum enim Delphicum tanquam centrum Graeciae fuisse. Quod iam eo refutatur, quod Delphi, libera et socia civitas, ne imperatorum quidem tempore Achaïae provinciae adscripti sunt: accedit vero, ut Drumannus demonstraverit, attributa illa ad ludos Apollinares pertinere, quibus Aemilius praetor Romae in urbe praefuit.

Nec melioribus rationibus Q. Ancharius, secundus illorum, probatur, quem Pighius nullo veterum scriptorum teste *a. 90 a. Chr.* Achaïae praetorem tribuit; quum tamen hoc tantum traditum sit, illum quopiam tempore praetoris munere functum, deinde vero C. Marii iussu interfectum esse.

24a) Liv. lib. 37, 55.

24b) Pigh. *Annal. magistrat. et provinciar. Roman.*

Deinde P. Gabinium, quem *a. 88 a. Chr.* Achaiae rectorem Pighius exhibet, — quoniam propter pecunias Graeciae in urbibus exactas *a. 80 a. Chr.* ab Achacis Romae repetundarum postulatus est, Achaiae unquam praefuisse, plane non sequitur: quippe qui, si forte Macedoniae vel alius provinciae vicinae proconsul exstiterit, ne Graeciam iniuriis vexaret, a nullo impeditus esset. Quae sententia Verris exemplo firmatur; quem, quanquam in Graecia nunquam ullo magistratu functus est, non solum liberas Athenas expilasse, sed etiam a magistratu Sicyonio pecuniam exegisse eumque recusantem poena affecisse, Cicero docet²⁵⁾: cuius verbis simul probatur, Sicyonios tum iure ac nomine liberos fuisse. Quid plura? Cicero eo loco, quo solo Gabinii mentionem facit²⁶⁾: „etenim” inquit, „quum lex ipsa de pecuniis repetundis sociorum atque amicorum populi Romani patrona sit, sqq.”: unde neque solos provinciales hunc vel illum magistratum Romanorum de repetundis postulasse, neque pecuniarum repetundarum reum aliquem hanc solam ob causam eorum, a quibus accusatus sit, rectorem habendum esse, manifestum est.

Idem fere in L. Gellium quadrat, quem non solum Pighius propraetorem Achaiae, quos illa aetate fuisse censet, quartum producit, sed alii etiam „propraetorem consulari potestate” Graeciae tribuunt, iis inducti, quae apud Ciceronem (*Legg. I. 20.*) leguntur. Ubi quum haec fere verba exstent: „Gellium, familiarem tuum, quum pro consule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tunc erant, in unum locum convocasse”: — hunc Gellium Achaiae rectorem fuisse, facile quidem quispiam statuerit. Sed non solum Graeciam a propraetoribus „consulari potestate” i. e. imperio proconsulari instructis unquam administratam esse, nullo scriptorum loco comprobari potest, sed etiam multo probabilius est, Gellium, in *suam* provinciam proficiscentem, tum Graecas civitates tantum peragrasse. Simili enim modo Crassum, — qui apud Ciceronem (*de Oratore, I. 11.*) haec loquens inducitur: „quum quaestor ex

25) Cic. in Verrem, II. 1, 17.

26) Cic. divin. in Caecil. c. 20.

Macedonia venissem Athenas sqq.", — in Macedonia quaestorem fuisse censeas, quum tamen illi muneri in Asia eum praefuisse, ex eiusdem operis libro III. 20. compertum habeamus. Quibus ex causis igitur Gellium illum non Aethiopiae, sed Asiae propraetorem fuisse, eo libentius crediderim, quum huius provinciae rectores proconsulari imperio praeditos fuisse inter omnes constet.

Denique Caninio Gallo Aethiopia provinciam a. 52 a. Chr. commissam esse, quo comprobetur, Pighius nihil affert, nisi quod Cicero (ad Famil. II. 8.) in Ciliciam proficiscens M. Caelio scribit: „ego quum Athenis decem dies fuisset multumque mecum Gallus noster Caninius; sqq.” Caninium autem propterea quod Athenis, quae nunquam ulli provinciae coniunctae erant, nonnullos dies cum Cicerone versatus est, in Aethiopiae praetorum numero habendum esse, vix sit, qui arbitretur.

Contra in bellis civilibus saepius Romani commemorantur, quibus Graeciae custodia atque imperium traditum erat: quanquam hi non tam rectores togati („Civilstatthalter”), — quos divisit inter Augustum et senatum provinciis imperii Romani in Aethiopia, tum demum ad certam formulam constitutam, missos esse censuerim, — quam praefecti militares ducendi sunt, qui Graeciam, bellis gerendis peropportune sitam, alteri utri partium de summa imperii certantium obtinuerint. Quae sententia eo firmari videtur, quod Cicero in decima orationum suarum Philippicarum²⁷⁾ liberae republicae studiosorum exercitum „Graeciam tueri” dicit, quum paulo ante Macedoniam et Illyricum, quae terrae iam diu provinciae factae erant, „a populo Romano teneri” retulerit. Quodsi ipso belli Mutinensis tempore (44 — 43 a. Chr.) de rebus Graecorum talia proferre oratori licuit, et Appium Claudium a Pompeio, et Servium Sulpicium^{*)} notissimum illum consularem, a Iulio Caesare, atque adeo Censorinum a M. Antonio Graecis praepositos, in numero militarium praefectorum referri posse, propraetoribus autem

27) Cic. orat. Phil. X. c. 6.

*) Hic quidem iurisdictionem quandam in Graecos exercuisse videtur; cf. Cic. ad Fam. IV. 12.

Augusti demum aetate Achaïam commissam esse, non sine probabilitate existimaverim.

Accedit quod iam prioribus temporibus Romanorum duces belli gerendi causa simili modo Graeciam obtinuerunt: ut L. Flaccum „imperatore Metello” — cui tum non Achaïa, sed Creta insula provincia adscripta erat, (68 — 67 a. Chr.)²⁸⁾. — „Achaïae, Boeotiae, Thessaliae legatum praefuisse” ex oratione discimus^{29a)}, qua Cicero eius causam defendit. Quibus non minus demonstratur, Graeciam ipsam tum a praetoribus nondum administratam, immo pari fero ratione atque Massiliam habitam esse; quam civitatem liberam et sociam eundem illum L. Flaccum „militem quaestoremque agnovisse”, quam attuli Ciceronis oratio docet. Similiter vero de L. Cornelio Sisenna statuendum est, qui — „Ἐλλάδος ἄρχων” — bello Piratico 67 a. Chr. Cn. Pompeii Magni legatus Macedoniam, Thessaliam, Graeciam propriam et Peloponnesum a praedonibus tuitus est^{29b)}.

Porro ex omnibus agris Graecis Corinthiae tantum regionis partem hac urbe deleta dominium populi Romani factum esse, iam supra vidimus; „qui ager optimus et fructuosissimus”, ut Ciceronis dicto utamur, „L. Mummi imperio et felicitate ad vectigalia populi Romani adjunctus est”³⁰⁾. Quo postea coloniam Romanam deductam esse, infra narra-
bimus.

Denique tantum abest, ut iniuriis, quibus nonnulli Romanorum Graeciam interdum vexarunt, eam provinciam fuisse comprobetur, ut ex ipsis scriptorum locis, quibus eiusmodi Romanorum facinora produntur, autonomiam quandam Graecis relictam fuisse, clare eluceat. Huc imprimis causa Pisonis referenda est, qui Clodii opera (a. 58 a. Chr.) effecerat, ut sibi quum Macedoniae proconsul praecesset (57 a. Chr.), etiam in Achaïa, Thessalia, Athenisque potestas quaedam iurisdictionis de pecuniis mutuis concederetur, ex qua,

28) Dion. Cass. frgmt. nr. 177. 178. ed. Reimar., lib. 36, t. 2.; cf.

Appian. lib. V. 6. XII. 95.

29 a) Cic. pro Flacco c. 26.

29 b) Dion. Cass. 36, 1.

30) Cic. c. Bullum. c. 2.

Cicerone teste ³¹⁾, „omnis Graecia ei addicta esset.” Id contra ius fasque institutum esse neque ad rem provincialem pertinuisse et ex eo sequitur, quod Athenae quoque Pisonis imperio tum subiunctae sunt, et ex iis, quae Cicero de lege illa Clodia alio loco profert, facile colligitur ³²⁾; ubi haec legimus: „emisti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in *liberos* populos contra senatus consulta et contra legem generi tui dicere liceret.”

Itaque, etiamsi de ratione, quae liberae reipublicae aetate inter Graecos et Romanos intercesserit, aequales scriptores nec accuratius nec fusius disserant, Achaiam etiam post Corinthum eversam libertatis et autonomiae speciem, bellis civilibus quidem in dies imminutam, retinuisse et ante principatum Augusti provinciarum in numero non relatam fuisse, pro certo habendum est. Quin etiam nonnulli veterum scriptorum, de quorum fide dubitari nequit, Graecos populos tum *liberos* fuisse, occasione oblata clare pronuntiant ^{33a)}. Optime igitur Graecas civitates, qua conditione inde ab anno 146 a. Chr. usque ad Augustum usae sunt, iis quas nos vocamus „Vasallenstaaten” similes fuisse dixeris, si id potissimum respexeris, eas bellis civilibus Romanorum saepissime coactas esse, proprio arbitrio alterius utrius causam sequi eamque viribus suis ac copiis fortiter adiuvare.

31) Cic. in Pisonem c. 16.: „nam lege Caesaris iustissima atque optima *populi liberi* plane et vere erant liberi, lege autem ea, quam nemo praeter te et collegam tuum legem putavit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenae, omnis Graecia addicta.”

32) Cic. de provinc. cons. c. 4.; cf. Manut. ad Cic. pro Sestio c. 10.

33a) Vid. Cic. pro Sestio c. 43., ubi Thessali et *Achaei* cum Dyrachinis, qui sec. Famil. XIV. 1, 7. „civitas libera” erant, eodem loco habentur; deinde Cic. declamat. pro domo c. 9.; pro Flacco c. 40.; Verr. II. 1, 17.; ad Att. I. 19, 9. — Caes. bell. civ. III. 3. „liberis Achaiae populis”; Seneca de benef. V. 16: „ut quae Achaëis, Rhodiis, et plerisque urbibus claris ius integrum libertatemque cum immunitate reddiderat”; Philostr. vit. Apollon. Tyan. V. 13.; p. 249.; Julian. epist. 35.: „*Ῥωμαίοις δὲ ἕστερον οὐχ ἀλοῦσα μᾶλλον ἢ κατὰ συνμαχίαν ἐπήκουσε.*” — Contra quae Plinius, Traiano imperante, Epist. VIII. 24. Maximo scripsit: „Cogita te missum in provinciam Achaiam . . . ad ordinandum statum liberarum civitatum”, fere ad Athenas tantum et Lacedaemonem pertinet; — „Athenas esse, quas adcas; Lacedaemonem, quam regas.”

Neque tamen Graccorum libertatem magni aestimandam fuisse inde apparet, quod, — ut magistratuum Romanorum scelera in subiectos populos omni tempore perpetrata omittamus, — cura atque custodia *Achaeiae*, quo nomine universa Graecia inde ab anno 146 *a. Chr.* a Romanis appellata est, quia tum penes Achaeos principatus Graecorum fuerat^{33b)}, Macedoniae rectoribus commissa erat^{34a)}. Mos enim atque consuetudo Romanorum erat, terras subactas quidem, sed provinciarum in formam nondum redactas, vicinis proconsulibus custodiendas tradere, qui quum saepius duas vel tres regiones curarent, non solum innoxias ideoque firmo praesidio non obtentas a seditioibus hostibusque tuebantur, sed etiam in rebus earum administrandis persaepe graviolem auctoritatem usurpabant^{34b)}.

Contra quod Strabo sub finem libri septimi decimi operis sui exhibet³⁵⁾, Romanis placuisse, omnes regiones peninsulae Illyricae, a Graecis cultas, in duas provincias divididi, — scilicet alteram septentrionalem, Macedoniae nomine

33b) Pausan. VII, 16, 7.; cf. Manut. ad Cic. Famil. IV. 12. — *Achaeiae* nomini rerum Romanarum scriptores, in ultimis liberae rei-publicae temporibus describendis alii aliam notionem subiiciunt. Quum enim et universae Graecorum civitates, libertatis specie praeditae, a plerisque communi Achaiae nomine comprehendantur, (cf. Paus. I.1.) et peninsulae Illyricae parti meridionali, tandem ab Augusto in provinciae formam redactae, magistratus Romani hoc nomen publice tribuant: contra alii scriptorum permulti Achaiam, — Graeciae propriae s. Helladi oppositam, — non nisi Peloponnesum intelligunt, (cf. iam Polyb. II. 38 init.; Liv. 31, 26.; 34, 59.; et maxime Appian. bell. civ. lib. V. 77.; Dion. Cass. 43, 36. 39. 48. Cic. de prov. cons. c. 4, 7.); eamque non solum ab Acarnania Aetoliaque, sed etiam a Thessalia atque adeo a Boeotia clare discernunt. (vid. Caes. b. c. III. 4, 55. Cic. ad Att. III. 8, 1.; pro Flacco c. 26. 40.; cf. Verr. II. 1, 21.; pro Sest. c. 43.; in Pison. c. 16. 40.; cf. Plin. h. n. IV. 9.) Ex quo ipso colligas, Graeciam ante Augustum principem non esse provinciam factam.

34a) Plutarch. Cimon, c. 2.: „ἡ δὲ χρισις ἦν ἐπὶ τοῦ στρατηγού τῆς Μεσσηνίας κ. τ. λ.” cf. Plut. Caesar. c. 4.; Cic. pro Plancio c. 11.; ad Fam. XIII. 17. 18.

34b) cf. Cic. ad Fam. IV. 3. 12.; XIII. 28.; Strabon. VIII. 5, 5. p. 365.; Dion. Cass. 53, 12.

35) Strabon. XVII. 25. p. 840.

insignitam, alteram meridionalem, *Achaïam* appellatam ac praeter Peloponnesum et Helladem „Thessaliam quoque, Aetoliam, Acarnaniam et quasdam gentes Epiroticas, Macedoniae affines”, complectentem, — id Augusti demum aetate, 27 a. Chr., institutum est: sive princeps propraetores iam post Actiacam pugnam, Nicopoli urbe condita, 31 a. Chr., sive provinciis demum inter ipsum et senatum distributis hic proconsules in Achaïam misit, 27 a. Chr.

§. 5.

Ut explicemus, quae conditio publica singularum civitatum Graecarum Corintho deleta, vel potius gentium conciliis Pausania teste mox postea restitutis fuerit, Romanos eandem rationem secutos esse manifestum est, qua et in Italia et in aliis peregrinorum terris subigendis usi sunt quamque nostra aetate Britanni ad res Indorum administrandas adhibent. Tantum enim abfuit, ut omnibus Graecorum civitatibus eundem ordinem praescriberent, ut aliis alio modo constitutis impedirent, ne Graeci communi servitute oppressi antiquas inter se inimicitias abiicerent et communi Romanorum odio implerentur.

Achaeos, *Boeotos* ³⁶⁾ aliasque eiusmodi gentes Graecas ex arbitrio proconsulum Macedoniae pependisse modo ostendimus: e quibus *Aetolorum* foedus, — et bello quo a.

36) Boeotorum foedus, quod propter nimium Persci, Macedonum regis, studium a Romanis in bello cum hoc principe gesto sublatum erat, (Polyb. XXVII. 1. 2. 5. 10.; cf. Liv. 42, 43. 44. 63.) postea restitutum et a. 146. a. Chr. simul cum Achaeorum et Phocensium conciliis denuo dissolutum esse, e Pausan. VII. 16, 6. Boeckhius collegit (l. c. p. 713.); quod ut existimaverit, errore eum ductum esse Raoul-Rochette („sur la forme et l'administration de l'état fédératif des Béotiens” in M. de l'A. d. I. VIII. 1827. p. 239.) contendit. — De ratione, quae inter Boeotos et Romanos posteriore aetate intercesserit, vid. Plut. Cim. c. 2.; Cic. N. D. III. 19.; concilio Boeotorum, nonnullis annis post Corinthum deletam una cum aliorum populorum foederibus instaurato, (Paus. I. 1. 7.), etiam secundo post Christum saeculo Boeotarchas, qui Thebis fuerunt, praefuisse Plutarchus docet; Plut. reip. ger. praec. c. 17.; Moral. Vol. II. p. 813 c.

189 a. Chr. a Romanis plane devicti erant, et iis quae hoc bellum secutae sunt calamitatibus, Amphilochois potissimum senatus iussu a foedere disjunctis³⁷⁾, prorsus debilitatum et fractum, — summis angustiis premebatur. Quod foedus, quamvis Augusti aetate Nicopoli urbe condita vehementer turbatum esset, ipso Pausaniae tempore supererat, adeo *Amphissa* urbe adjuncta³⁸⁾: quae simul cum Locris Ozolis liberae reipublicae Romanae aetate immunis fuit³⁹⁾.

Contra *Spartanis* Romani multo magis favisse videntur. Qui postquam rebus Graecis implicari coeperunt, inimicitias quae inter Achaecos et Spartanos erant, in suum commodum usi plerumque hos ab inimicis defenderunt. Quanquam enim Quinctius Flaminius temporibus inserviens 195 a. Chr. simul cum Achaeis Nabidi, Spartanorum tyranno, bellum intulerat eumque vi et armis coegerat, ut Sparta urbe contentus Laconicae urbes maritimas, quarum incolae postea „Eletherolacones” appellati sunt, Achaeis cederet⁴⁰⁾: nihilosecius Romani postea Spartanos ab iniuriis Achaecorum tuiti sunt, ut — illorum libertatis servandae simulatione atque nomine — semper rebus Graecorum sese immiscerent atque prohiberent, ne foederis Achaici in Peloponneso potentia confirmaretur. Sic factum est, ut perpetuae inter Spartanos et Achaecos dissensiones et querelae, quas illi de horum iniuriis ad senatum detulerunt, tandem Romanis ad bellum Achaeis inferendum (147—146 a. Chr.) ansam praebarent.

Quo bello confecto Spartani cum ab Achaecorum vexationibus liberati suisque legibus vivendi ac pristina instituta obtinendi facultatem assecuti, tum a Romanis multis praemiis ornati sunt. Quippe qui, teste Strabone⁴¹⁾, „in eximio haberentur honore libertatemque retinerent, praeter socias operas — („φιλικὰ καὶ λειτουργία”) — nihil quicquam Romanis pendentes.” Itaque nec moenia et arx Spartaec deiecta, nec cives armis privati et vectigalia certa solvere coacti sunt,

37) Polyb. XXII. 9—15.; Liv. 38, 8—11.; 41, 25.; 42, 5.; Iustin. 33, 2.; cf. Diod. Sic. fragm. II, p. 643. ed. Wessel.

38) Pausan. VII. 18, 6.; X. 38, 2.

39) Plin. h. n. IV. 1—8. (1—15.)

40) Liv. 34. 35. 36. 35, 13. 38, 31.; cf. Strabon. VIII. 5, 5. p. 366.

41) Strabon. VIII. 5, 5. p. 366.

nec magna institutorum legumque commutatio facta esse videtur*). Atque adco, si Pausaniae locum ⁴²⁾ recte intellexerim, urbes illas maritimas Nabidis tempore Spartanis ademptas tum ab Achaia seiunctas et Spartaee urbi iterum adscriptas esse censuerim: cuius sub imperio usque ad Augustum imperatorem permansisse videntur. Sed quamvis hanc ob causam Spartani conditione multo meliore quam reliqui Graeci praeter Athenienses usi sint, tamen ne fortunam illorum maiore laude efferas cavendum est; quorum libertatem, ut omnium liberarum civitatum sub imperio Romanorum, nomen tantum ac speciem fuisse hoc Plutarchi dicto ^{43a)}: „καὶ παραλήσιοι τοῖς ἄλλοις γενόμενοι τὴν πρόσθεν εὐκλειαν καὶ παρῴησίαν ἀπέθεντο καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν, καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνας ἐγένοντο.” plane probatur.

Deinde *Deli* insulae res mox post Corinthum eversam temporis opportunitate vehementer auctae sunt. Iam enim a. 167 a. Chr. Romani, ut Rhodiorum commercio detrimentum afferrent, Apollinis templo immunitatem concesserant et insulae portum de vectigalibus exemerant. Praeterea autem et portus iis qui ex Italia et Graecia in Asiam navigarent, peropportune erat situs, et Athenienses qui, Delo tum a Romanis iis concessa, priscis incolis in Peloponnesum migrare coactis, insulam cleruchiam instituerant ^{43b)}, sacra et negotiationes diligenter procurabant. Quibus omnibus post paucos annos iam factum est, ut portorium Rhodiorum, quod superioribus temporibus decies centena millia drachmarum confecerat, ad centum quinquaginta millia vix perveniret. Nec minus *Deli* frequentia et opes eo potissimum accreverunt, quod Corintho deleta mercatores cum alii, tum maxime Ro-

*) Perpauca quae de rebus et institutis Spartanorum sub imperio Romanorum tradita sunt, vid. infra Cap. III. §. 6. et Part. alter. Cap. I. §. 3.

42) Pausan. III. 21, 6.

43a) Plutarch. institt. Lacon. c. 42.; Moral. Vol. I. pag. 240 b.

43b) Polyb. XXII. 17. init.; cf. Pausan. VIII. 33, 1.; Boeckh C. I. vol. II. nr. 2270.: „τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων τῶν ἐν Δήλῳ”; cf. Aristid. Panathen. I. p. 308. ed. Dindorf.

mani, qui antea Corinthum frequentaverant, Delum transiverunt, ut haec insula in Corinthi locum succederet et summum commercii inter Europam Asiamque emporium fieret⁴⁴). Neque tamen haec Deliorum fortuna diuturna fuit, quum iam primo bello Mithridatico regis duces insulam saevissime devastarent.

Denique quum Delphos, Thespias, Tanagram hac aetate civitates liberas et foederatas fuisse⁴⁵), commemorare satis sit, id solum restat, ut de statu Athenarum, quae urbs etiam his temporibus omnium Graecarum longe gravissima fuit, fusius disseramus.

§. 6.

Athenienses quidem, tertio ante Christum saeculo medio Achaeorum auxilio tandem aliquando a praesidio Macedonico liberati, nihilosecius, sive pristini principatus recordatione sive sagacitate quadam politica inducti sunt, illis se adungere dedignati, posteriore aetate Romanorum amicitiam amplecti maluerunt⁴⁶). Quos quum in bellis cum Macedoniae regibus inde ab anno 200 *a. Chr.* gestis pro suis viribus adjuvissent, Atheniensibus contigit, ut non solum libertatem suam et autonomiam obtinerent, sed etiam Romanorum gratia, Perseo rege devicto, Lemnum, Imbrum, Scyrum Delumque insulas recuperarent et Boeotorum foedere sublato Haliarti urbis in bello contra Perseum gesto eversae agros donum reciperent (*a. 167 a. Chr.*): quae terrae et vectigalia illis pendebant et sub ius et iurisdictionem eorum subiunctae esse videntur⁴⁷). Cuiusmodi beneficiis Athenae postera aetate a potentibus Romanis, maxime a principibus, qui urbem aut praemiis aut poena affligerent, saepius modo ornatae modo privatae sunt.

44) Polyb. 31, 7.; Strabon. X. 5, 4.; Cic. pro lege Manilia. c. 18.

45) Plin. h. n. IV. 1—8. (1—15.)

46) Pausan. I. 36, 4.; cf. 29, 12.

47) Polyb. 30, 18.; Exc. Vatic. t. II. p. 437.; Vitruv. archit. VII. 7.; Strabon. IX. 2, 30. p. 411.; cf. Ahrens. p. 60—63.; Livio quidem teste (lib. 33, 30.), qui a Polybio aliisque scriptoribus aliquantum discrepat, iam post bellum cum Philippo rege confectum (196 *a. Chr.*) Romani Atheniensibus Parum, Imbrum, Delum Scyrumque cleruchias, a Macedone iis creptas, reddidere; sed cf. Schorn, Griech. Gesch. p. 367.

Nihilominus autem Atheniensium rempublicam illo tempore et summa pecuniae inopia oppressam fuisse et ab nutu Romanorum pependisse, ex iis quae de Oropo oppido ab illis spoliato (*a. 155 a. Chr.*), et de rebus hoc scelus secutis tradita sunt, perspicue cognoscitur.⁴⁸⁾ Contra foederis Achaici interitus Atheniensium civitati damnum adeo non intulit, ut et liberae reipublicae Romanae et imperatorum aetate liberam, Romanorum sociam et amicam eam fuisse statuendum sit⁴⁹⁾. Athenas enim Romanorum praesidio obtentas non esse, e scriptorum silentio et praecipue e Mithridatici belli historia certe colligitur⁵⁰⁾, quum autonomiam i. e. suos magistratus suamque iurisdictionem eas retinuisse Strabo et Plutarchus⁵¹⁾, immunes fuisse i. e. nulla tributa pependisse urbem Aristides⁵²⁾, et societate cum Romanis coniunctas fuisse Tacitus⁵³⁾ diserte affirmant. Sed tamen quum Romanis cuiuscunque rei faciendae esset potestas, nec quisquam refragari posset, si libertatem eiusmodi civitatum aut minuire aut plane delere vellent, Athenae quoque, etsi „civitas *αὐτόνομος, ἀφροσύρητος* et *ἀτελής*” fuerunt, haud dubie ab nutu et arbitrio Romanorum tantopere pependerunt, ut libertas Atheniensium, pariter atque omnium imperii Romani

48) Pausan. VII. 11.; cf. Cic. Academ. II. 45.; Plut. Cat. Mai. c. 22.; Gell. N. A. VII. 15.; Macrob. Saturn. I. 5.

49) Strabon. IX. 1, 20. p. 398.: „Ρωμαῖοι δ' οὖν παραλαβόντες αὐτοὺς δημοκρατουμένους, ἐφύλαξαν τὴν αὐτονομίαν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευθερίαν . . . καὶ μέχρι νῦν ἐν ἐλευθερίᾳ τε ἐστὶ καὶ τιμῇ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις.” Cf. Vellei. Patere. II. 23; Ahrens, pag. 18—23.

50) Ex iis Livii locis quibus Meursius (de fortun. Athen. c. X. opp. 1. p. 89.) Athenas firmo praesidio obtentas fuisse probare studet, (Liv. 31, 23.; 32, 16.), nihil sequitur, nisi primo bello Macedonico (200—198 a. Chr.) Romanos amicas sociasque Athenas praesidio ab hostibus defendisse; pace autem restituta manum Romanam Athenis remansisse Livius nusquam tradit.

51) Strabon. I. 1.; Plut. Comp. Lys. c. Sull. c. 5.

52) Aristid. Panathen. ed. Genev. 1604.; t. I. p. 319 c.; quo loco Athenas immunitate praeditas conditione ceteris Graeciae oppidis tributariis longe feliceiore frui celebratur.

53) Tacit. Annal. II. 53.

civitatum, quae liberae appellatae sunt^{54a}), non tam vera libertas, quam privilegium esset.

Quaenam Romani in Atheniensium legibus institutisque mutaverint, satis clare perspicere vix possit. Quodsi iis quae Appianus profert^{54b}), „Atheniensibus post captam Graeciam leges et instituta a Romanis data esse” ea addis, quae Posidonius apud Athenaeum⁵⁵) de civitatis statu loquentem facit Aristionem, — id potissimum Romanos egisse censuerim, ut democratiae licentiam ecclesiae et iudiciorum popularium, maxime heliacaе, potestate arctioribus finibus circumscribenda cohiberent, optimatum vero auctoritatem et potentiam omni modo auferrent. Quod et aliunde licet concludere: quum enim (a. 88 a. Chr.) Athenienses Aristione potissimum auctore Mithridatis partes sequerentur, inprimis plebem, propter democratiam a Romanis imminutam iis offensam, his rebus studuisse inde probatur, quod optimates Romanis fidi aut Romam in urbem aut Sullae in castra profugerunt⁵⁶).

Romani autem, qua erant prudentia, nihil fere aperte mutarunt: quippe qui, servatis pristinorum magistratum nominibus, *Areopagi* potissimum, „quod unicum in republica Atheniensium supererat gravioris momenti elementum aristocraticum”, ut ita dicam, vim et auctoritatem adeo auferrent, ut summas fere partes in regenda civitate assequeretur⁵⁷). Nec minus quum magistratum, pristino tem-

54a) De liberarum imperii Romani civitatum statu universo cf. Ahrens. p. 19—21.; Hoeck. t. I. p. II. pag. 242 sqq.; Kuhn. pag. 80—98.

54b) Appian. Mithridat. c. 39.: „ἡ πρότερον ἀλούσης τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ Ῥωμαίων αὐτοῖς διετέτακτο” et deinde de Sulla narrat: „καὶ Ῥώμους ἐθίκεν ἅπασιν ἀγχοῦ τῶν πρόσθεν αὐτοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ὀρισθέντων.”

55) Athen. V. p. 212 f.

56) Plut. Sull. c. 13.; cf. Pausan. I. 20.

57) Vid. Ahrens. pag. 34—39.; cf. Plut. an seni sit republ. gerend. c. 20. Moral. Vol. II. p. 794 b.; Cic. N. D. II. 54.; orat. pro Balbo c. 12. — Quodsi Meursius (Areopag. c. 3. opp. ed. Lam. II. p. 379.) tota Graecia subacta Areopagum a Romanis sublatum esse censet, id et universae rationi, qua Romani Atheniensem rempublicam habuerunt, contrarium est, et ex locis, quibus ille opinionem suam confirmare

pore non adeo gravem, summum praetorem, („στρατηγὸν ἐπὶ τοὺς ὀπλίτας vel ἐπὶ τὰ ὅπλα”), dictatoria fere potestate ornarent, qua nunquam prioribus democratiae Atticae temporibus ullus magistratus instructus fuerat⁵⁸), et denuo instituerent, ut gravissimi certe magistratus non iam sortitione, quod inde ab Aristidis aetate usitatum fuerat, sed electione vel suffragiis crearentur⁵⁹): ii prohibere studebant, ne multitudo effrenata ac popularis imperii studiosi in republica Atheniensium administranda maiore eaque Romanis molesta auctoritate valerent. Ceterum priore profecto imperii Romani tempore antiqua democratiae instituta et magistratus, ut novem archontes, magis scilicet nomine quam potestate graves, senatus (βουλῆ) sexcentorum⁶⁰), cui modo quadraginta unus modo quadraginta duo prytanes invicem praerant, et notissimae illae ecclesiae, permanserunt, neque etiam summae potestatis nomine et specie populus privatus est⁶¹).

studet, omnino nequit deduci. *Δικαστήρια* enim, — ut taceam, *Areopagum* semper „βουλῆν” appellatam esse, — quae vel sublata vel imminuta esse Aristion contendit, (Athen. V. p. 212 f.), haud dubie heliaca et alia eiusmodi iudicia democratica intelligenda sunt.

58) Ita Aristionem, praetoris munere impetrato, Athenis tyrannidem occupasse, (vid. Athen. I. 1.), infra videbimus. — De „strategis” vid. Ahrens. p. 42—49.; cf. v. Dale. diss. V. 3. p. 410 sqq.; Corsini F. A. I. p. 40—47.; Plut. praec. reip. gerend. Moral. Vol. II, p. 813 d.; Philostr. vit. sophist. I. 23.; Boeckh. C. I. vol. I, nr. 185. 189. 191. 192. 477—480.

59) Id e loco quodam Plutarchi (Pericl. c. 9.) apparet, quo sortitio magistratuum ut iam diu abolita commemoratur; cf. Lucian. Vitae Lucian. auctio c. 6., ubi suffragiorum fabis latorum mentio fit. Deinde vero iam Aristionem aliosque qui eum secuti sunt magistratus suffragiis (χειροτονίαι vel ψήφοι) creatos esse, inter omnes constat. Denique Philostrati locum (I. I. II, 1, 5.; 20, 1.: „ἐν τε λειτουργίαις ἂς μεγίστας Ἀθηναῖοι νομίζουσι, τὴν τε ἐλώνημον καὶ τὴν ἐπὶ τῶν ὀπλῶν ἐπετροπή”), si recte intellexerim, gravissima munera illa aetate liturgiarum in numero habita esse videntur.

60) Pausan. I. 5, 5.; Corsini F. A. t. I. pag. 121.; t. IV. pag. 67. 101.

61) His etiam temporibus comitia populumque („δημιον”) summa potestate, — quam nos dicimus „Souveränität”, — praeditum fuisse, permultis decretis confirmatur, quae hac aetate Athenienses ediderunt; cf. Boeckh. C. I. vol. I, nr. 408—460.

§. 7.

Quaquam temporum iniquitate Athenae auctoritate sua politica iam diu exutae erant, tamen antiqui splendoris speciem et maiorum gloria et philosophorum scholarum praestantia retinuerunt. Quos viros doctos iam tum in republica Atheniensium nonnihil valuisse inde colligas, quod Carneades academicus, Diogenes stoicus, Critolaus peripateticus (*a. 155 a. Chr.*) ab Atheniensibus ad senatum Romanum legati missi sunt, qui de rebus Oropiis agerent⁶²): neque tamen ea auctoritate excelluerunt, qua imperatorum aetate sophistae, qui vocati sunt, Athenis floruerunt.

Quum iam Athenienses, negotiis publicis gravioris momenti non amplius impliciti, litteris colendis fere acquiescerent, res eorum magna quae ad philosophorum scholas undique confluebat iuvenum copia et usu pecuniarum, quae ex oppidis, Romanorum gratia civitati concessis, redibant, denuo efflorescere coeperunt. Quae prospera Athenarum fortuna vehementer turbata est seditione a servis *a. 133 a. Chr.* mota, qua urbis et otium et opes magnam laborem dederunt.

Illo enim tempore servi, quorum — liberis rusticis pravo latifundiorum studio in dies imminutis — in omnibus terris Romanorum imperio subiectis ingens multitudo fuit, et servitutis iugum aegre ferentes et, quum maximam partem oppidorum deletorum liberi cives fuissent, saevo Romanorum odio incensi primum in Sicilia insula *135 a. Chr.* tumultum concitaverant. Qui quum Euno vel Antiocho Syro et Achaeo quodam Graeco ducibus bellum prospero eventu gererent, *a. 133 a. Chr.* multis aliis locis eiusmodi aut seditiones aut coniurationes factae, ut in Italia Romae, Minturnis, Sinuessae in urbibus, sed fere ubique cito a magistratibus oppressae sunt. Ut vero de Graecia dicamus, multa millia servorum *Atticorum*⁶³), qui in metallis Lauria-

62) Pausan. VII. 11. Plin. h. n. VII. 31. A. Gell. VII. 14. et XVII. 21. Cic. Tusc. IV. 3. Acad. II. 45.

63) Etiam *Delis* in insula tum servos tumultum edidisse solus Diodorus refert.; Diod. Exc. Phot. p. 528. (Ecl. I. l. 36. ed. Westel. II. p. 528.): „κατὰ τὴν Ῥωμῆν δούλων ἀπόστιασις ἑκατὸν πεντήζοντα συνομοσάντων ἀνήπιετο καὶ κατὰ Ἀττικὴν ὑπὲρ χιλίων, ἔν τε Δήλῳ καὶ κατ' ἄλλους πολλοὺς τόπους.”

cis vinculis constricti tenebantur, tum seditionem moverunt et custodibus metallorum interfectis Sunii arcem ceperunt. Sed quum per aliquantum temporis Atticam depopulati essent, tandem ab Heraclito, Atheniensium praetore, non sine magno negotio superati sunt^{64a}). Quo factum esse videtur, ut metalla, e quibus Athenienses antea magnum fructum ceperant, postea fere deserta iacerent^{64b}).

64a) Posidon. ap. Athen. VI. p. 272 c.; Diodor. l. l.; Oros. hist. adv. pag. V. 9. Pauli. Diacon. miscell. histor. l. IV.; Corsini F. A. III. p. 111.; cf. Liv. epit. l. 56. — Posidonium quum hanc seditionem eodem tempore cum secundo bello servili fuisse dicat, Euni seditionem in Sicilia factam intelligere, bellis servilibus aliter atque vulgari ratione numeratis, censuerim. Quodsi Bakius (ad Posidon. p. 153.) id quod Posidonius exhibet, ad bellum cum Spartaco 73 a. Chr. gestum, ibidem commemoratum, referendum esse putat, huic opinioni alii testes ad unum omnes obstant: quo accedit, quod post bellum Mithridaticum tot millia servorum in metallis Lauriacis fuisse credi nequit.

64b) Paus. I. 1, 1.



THESES.

I.

Gracchi propter consiliorum suorum sapientiam laudandi, ab animi seditiosi crimine absolvendi sunt.

II.

Henricus Saxonum dux non tam superbia adductus, quam rerum Germanicarum ratione prudenter habita a Friderico Barbarossa descivit.

III.

Rudolphus Habsburgensis qua ratione rebus Germaniae praefuit, imperio valde nocuit.

IV.

Aristophanes *poëta* non dignus est, qui propter patriae caritatem et morum severitatem laudibus efferatur.

V.

Platonis respublica non civitatis Spartanæ imago perfecta habenda est, sed non nisi ex idearum fluxit doctrina.

VI.

Liber de legibus a Platone non est scriptus.
